10

DE

ORIGINE NOBILITATIS GERMANICÆ

DISQUISITIO ACADEMICA

QUAM

VENIA AMPL. FAC. PHIL. UPSAL.

P. P.

MAG. JONAS BERNHARDUS RUNSTEN

ELOQU. ET POLIT. ADJUNCT. SKYTTEANUS

ET

OSSIANUS EDMUNDUS BORG

Vestm.-Dalec. Stip. Reg.

IN AUDIT. GUSTAV. DIE IV JUNII MDCCCXXXVI.

H. A. M. S.

P. III.

UPSALIÆ

EXCUDEBANT REGIÆ ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

35

De huldaste Föräldrar

helgadt

af

Sonlig kärlek, vördnad och tacksamhet.

Neque negandum est, per determinata certi ordinis privilegia tentatam jamdiu esse quandam nativae illius nobilitatis ad recentiorem aetatem adcommodationem; sed hac ipsa paratam potius utriusque ab altera, crediderim, abalienationem. Sicut certum in ordinem redactas rerum quoque antiquitates asservare solent nostri antiquarii, ita temporis etiam quidam antiquarius genius est: et ipsa nobilitatis ad certas leges ordinatio certissimum fere ejusdem esse videtur antiquitatis et antiquationis argumentum. Quod si, ad illustrationem rei evidentiorem, similitudinem liceat prosequi nuncupatam, hanc ordinatae nobilitatis hodiernam speciem dixerim esse quandam antiquitus reservatam tabulam, renovatam eam quidem saepenumero eleganterque marginatam, in qua nativae illius nobilitatis velut pictam faciem contemplanti mihi arrideant quaedam divinae imaginis pulcherrima lineamenta, at vero haec non amplius mobilia aut vivida, sed fixa et tamquam artificio composita. In hodierna antiquae nobilitatis progenie video equidem quasi repraesentatam nativae hominum integritatis adumbrationem, neque vero ejusdem in vita veritatem, quippe artificiosam eam, nec vero pristinâ suâ ac vitali in communem vitam vi operantem 1). Neque enim repraesentationem hodie imaginis divinae

---

1) Illam vero antiquae apud Germ. nobilitatis immensam fere in vita vim et potentiam ex ipsa Historiâ indagatam et recognitam vide apud citatos supra (p. 12) Eichhorn, Grimm et Savigny. In quorum verba Magistrorum lubenter equidem, quamquam non sine ingenti reservatione, juraverim: 'quando quidem illos itidem invenio, ob neglectam in culturae germanicae gradatione

ullam in vitali quidem vitae veritate conspicuam aliam habueris praeter illam quandam pneumaticae nativitatis praeeminentiam, quam idcirco novam dicere ausus sum novae aetatis vivam nobilitatem. At quia suum praebeat ipsa quoque vita artificium, praeter ullum vitalem spiritum, imaginariâ tantum veritate conspicuum, sitque ipsius societatis quidam, ut antiquarius, ita artifex genius, hanc ideo ordinatam nobilitatem, dixerim, ex genio temporis mirifice elaboratam superesse nativae illius integritatis imaginem formosissimam. Quamquam hujus venustatem haud melius aestimare posse vulgarem hodie petulantiam intelligo, quam Mummii olim milites romani, quando in pretiosissimâ Apellis tabulâ tesseris ludebant. Neque tamen hoc tam mirandum existimaverim, quam, quod ne ipsi

---

limitum distinctionem, admissâ novitatis cum antiquitate confusione, ex solito praejudicio voluisse antiquam illam liberamque nobilitatis auctoritatem restrictam ad certam atque juridicam formam privilegiorum. Atque hac quidem ratione fides potius danda videtur Welckero, qui citatis ex operibus postquam octodecim praecipue privilegiorum commenta excerpsit (v. StaatsL. p. 290—291), haec omnia locupletissimis Historiae documentis fictitia esse et falso Germanorum antiquitati adscripta evidentissime demonstrat (l. c 291—311).

Quamquam Welcker rursus in hoc videtur multo etiam magis ipse reprehendendus, quod nempe, ubi nulla privilegia, ibi nullam arbitratur exstitisse nobilitatem; quam equidem contra contenderim, longe ante omnem juridicam privilegiorum inventionem, in summam apud Germanos evaluisse liberamque auctoritatem: in hoc nimirum, facilâ scilicet omni privilegiorum exceptione, lubentissime secutus illos celebratissimos antiquitatis investigatores (Eichh., Grimm, Sav.); quos vide locis cit.

quidem docti rei aestimatores melius illius pretium et dignitatem nobilitatis intelligant: quippe qui hujus recognituri veritatem faciemque antiquam, quum eam deberent ex quadam ideali totius quasi imaginis intuitione concipere, adeo contra in singulis lineamentorum punctis empirice inhaereant, quasi chemice tandem dissolutâ colorum materie, certissima sic inventa foret picturae intelligentia. — Immo vero si per operam illam vitae universae dramaticam, suam Ipsius voluit Summus Ille vitae Auctor in personâ humanitatis repraesentatam divinam majestatem, cujus, velut ex speculo temporis reflexam, singularem quaeque praebeat aetas effigiem, eamque ideo, pro diversa aetatum integritate aut corruptela, aliter aliis temporibus formatam aut reformatam, nativam aut renatam; hujus utique effigiei ut ex quaque innotescant Historiae periodo lineamenta, hoc longe antiquissimum esse debere videtur historicae sagacitatis studium. Atque ex facta quidem significatione, postquam in universum modo hactenus duo distinximus et nativitatis et nobilitatis genera, videre forsitan liceat, esse illius, qualem superstitem habemus, nativae nobilitatis ad alteram eam pneumaticam et ad totum aetatis nostrae ingenium rationem fere eandem, quam habeat ad vitalem vitae veritatem artificiosa veritas simulacri.

In definitione igitur illâ nobilitatis si ex allatis, quae necessariae visae sunt, observationibus distingvenda distinxeris, paratum habes et expeditum ad historicam germanicae nobilitatis originem iter. — Nobilitatem primo diximus esse quandam praeeminentiam nativitatis idealem. Quae jam definitio, post-

quam illam idealitatem copulae instar obtinere demonstravimus, ita etiam verti posset, ut sit nobilitas *quaedam ex certa nativitate idealiter oriunda aliquorum praeeminentia.* Atque hanc facile vides definitionem tam laxam esse, ut genera nobilitatis, sive physicae sive pneumaticae nativitatis ideam spirantia, omnino comprehendat omnia. Neque hanc ideo laxitatem negligentiâ admissam existimaveris, sed quaesitam potius de industria. Immo hoc necessarium unumque mihi visum est remedium contra nimiam judicum ceterorum in definitione angustiam. Quorum inprimis Welcker quum pressam adeo instituerit definitionem, ut non universam ipsius rei veritatem, sed individualem ejusdem ex certo et quidem novissimo tempore formam definiverit, — hac ipsa definiendi anxietate ita is ab cognitione veritatis abstractus videtur, ut ob dissimilitudinem formarum speciosam, ipsam rem perdiderit, vimque fecerit Historiae. Neque vero alia res, ubicumque alia forma. In illa autem nostra definitione utcumque varientur vel subjecti vel praedicati vel copulae notiones et formae, hoc nihil ad rem ipsam facit, quum tamen salvam rei naturam seu stabilem habemus subjecti, stabilem praedicati, stabilem copulae ideam, stabilemque totius formam judicii. Haec est illa, de qua diximus (p. 6.), calculi historici integratio. Sic duo jam posuimus in illa idea nativitatis extrema; quae, etsi specie sibimet opposita, tamen non nisi unius sunt ejusdemque ideae, pro ipsa temporum variatione, modificationes. Id etiam observavimus, inter extremas physicae et pneumaticae nativitatis notiones magnum esse mutatae humanitatis intervallum. Si hoc omne

intermedium variationum genus uno jam nomine adpellaverim psychicum, tres habemus in eadem nativitatis idea modificationes: unam nativitatis notionem formamque physicam, alteram *psychicam*, atque tertiam *pneumaticam*. Ex his autem in illa quoque praeeminentiae idea tres item sequuntur modificationes, quarum, ex recepto inter doctos loquendi usu, primam adpellaverim *symbolicam* praeeminentiam, alteram *symbolico-allegoricam* seu *allegorico-symbolicam*, atque tertiam *allegoricam*: istam nimirum alteram, tamquam inter primam et tertiam mediam ex mutuoque conflatam utriusque commercio, utriusque etiam ideo adpellatam nomine. Ex quibus denique in utraque, nativitatis et praeeminentiae, ideâ modificationibus tres item ultro sequuntur in illa copulae seu idealitatis idea quasi temperaturae; quarum quidem primam dixerim idealitatem *mythicam*, alteram vero *mythico-mysticam* seu *mystico-mythicam*, atque tertiam *mysticam*. Quae quum eaedem fuerint totius humanitatis usque quodammodo excultioris gradationes, has si diligenter satis et subtiliter in Germanorum historia observaveris, enatae item germanicae nobilitatis tres videbis distinctas periodos, tresque nobilitatis quasi fontes et origines. Hinc nempe tria praecipue exstitere nobilitatis germanicae genera, certâ suâ quaeque periodo et orta primum adultaque et post praestitam frugem exolescentia. Neque tamen has generum periodos adeo cogitaveris distinctas, quin in medio cujusque recentioris flore priora etiam illa, quasi ipsa sibi superstitia, resplendeant antiquioris culturae monumenta. Neque rursus haec tria nobilitatis genera cuncta, quamvis amice nunc temporis

una-existentia, ideo tamquam coordinata habenda seu ejusdem eodem tempore momenti sunt. Non nisi unum est nobilitatis genus, quod unoquoque tempore in vitali spiret humanitatis veritate; quum hujus ejusdem velut in effigie tantum repraesentatio supersit, quodcumque antiquitus enatum suo demum tempore consenuerit. — At vero hoc omne distinctionis genus, quum nimis possit videri abstractum, heic non amplius urgendum. Enimvero, praemonstratâ tantum hactenus viâ, quum tempus tandem proficiscendi sit, ad ipsas germanicae nobilitatis origines primas historico confestim itinere grassemur.

Certas igitur in Historia germanicae nobilitatis periodos distingvendi rationem, ex varia illam quidem Historiarum lectione subnatam mihi, firmâ jam Annalium auctoritate comprobaturus, ad rei universae conspectum, hodiernum primo rerum germanicarum auctorem potissimum adpellaverim, celebratissimae doctrinae virum, J. C. Pfister 1). Hic in primo suo libro, repetitâ ab antiquissimis temporibus ad inceptum decimum nostri temporis seculum memoriâ Germanorum, totum hoc historiae intervallum in tres partitur periodos. Quod vero sequitur partiendi principium, petitum est ex Germanorum alia aliis temporibus vivendi ratione. Prima itaque periodus, ubi, civili nondum coactae vinculo legum, discretae agerent Germanorum nationes, inscriptum ideo titulum habet, "*die Völker-Stämme*," 2) et extenditur ad bellum marcomannicum seu medium secundi p. Chr. seculi tempus. Altera periodus, ubi, propter crescentem una cum hominum copiâ inopiam terrarum urgente bellorum necessitate, plurium exsisterent confoederationes populorum, praefixum ideo characterem habet, "*die Völker-Vereine*," et ab bello inde marcomannico ad finitas usque gen-

1) Gesch. der Europ. Staaten, herausgeg. von Heeren u. Ukert. 1ter B. Gesch. der Teutschen v. Pfister. Hamb. 1829.

2) v. l. c. p. 3—179.

tium migrationes alteramque sexti p. Chr. seculi partem deducitur 3). Tertia denique nuncupati intervalli periodus, ubi, certis tandem sedibus collocati Germanorum populi, post devictas paullatim vicinas Slavorum gentes, descriptasque sensim ex moribus leges, primam tentarent unius civitatis constitutionem, fundato nimirum Francorum imperio papatuque romano — haec idcirco periodus nomine insignita regni ("*das Reich*" 1), intra sexti seculi finem atque initium decimi versatur. Quae quidem, ad certas periodos adstructa, inter Germanorum diversas, nationalem, popularem atque civilem vivendi rationes distinctio, dicere non possum, quam idonea mihi visa sit, quantumque placeat. Atque inter hanc historicam periodorum descriptionem illamque nostram tripartitam nobilitatis theoriam convenientiam demonstrari posse evidentissimam putaverim.

Intra primum igitur Historiae germanicae spatium diversas illas nationalis, popularis et civilis vitae rationes propius jam examinaturus, distinctionum primo potiorum summa heic praeceperim momenta. Nationalem itaque vitam dixerim, ubi, ad originem nationis unam conditoresque primos (Tac. Germ. 2) cuncta referentes homines, tamquam ejusdem Patris filii omnes universali mutuoque cognationis et amicitiae vinculo essent consociatae. Quod maxime contenderim contra hobbesianum illud commentum de bello omnium inter omnes; quo quidem nihil nec vulgo receptius, nec fere aliud absurdius. Illae contra nationes, quum, unius instar familiae, ipsaque "arva per annos mutantes," omnia haberent communia, pacis erant concordiaeque amantissimae; quamquam tum praecipuum adversus occultas naturae inimicitias bellum, ne robur foret gentis exstirpatum. Hinc nimirum illa matrimonii severitas sanctitasque pudicitiae — "sera juvenum venus eoque inexhausta pubertas."

---

3) l. c. p. 173—353. — 4) v. l. c. p. 354—518.

Indidem illud Taciti judicium, Germanos "nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse" (Germ. 4). Atque haec illa est, quam ideam dixi physicae nativitatis Cujus praeeminentiam, antiquissimam Germanorum nobilitatem, mythicae ergo divinitatis ex primis illis conditoribus propagatam putaverim symbolicam in principibus repraesentationem. Hinc tum nobilitatis quidam patriciatus et regum velut in filios paterna potestas. "Reges ex nobilitate sumunt" (Germ. 7). Popularis dein vita videtur fuisse, ubi paternam paullatim potestatem egressi Germani, ex filiisque pupillaribus sui quisque juris fratres virique, quum publicam ipsi vulgo libertatem susciperent contra hostiles impetus defendendam, tum, praeter illa temperantiae pacifica, fortitudinis etiam bellicosa exercitia inirent, pro sua quisque virtute suam sibi propriam vindicantes nobilitatem 1) (Mutua Allodii et Feodalismi ratio). Haec ergo virtus est, eujus psychicam dixi nativitatem, hujusque praeeminentiam, novam nimirum regiamque in ipso populo nobilitatem, symbolico-allegoricam; hanc quippe, praeter ingenuitatem, propria simul virtute parandam. Ibique potior ducum, quam regum auctoritas "Duces ex virtute sumunt." Civilem denique vitam exstitisse putaverim, ubi rupto populari vinculo fraternitatis, suam quisque sibi vindicantes individualitatem, tamquam alienigenae sub legum imperio cogerentur. Hic in ipsius populi gremium bellum susceptum. Hic quoddam regnum Necessitatis, ex illo demum omnium inter omnes bello conflatum. Nec ulla heic amplius libertatis, nisi per religionis πνευμα, emancipatio, quam, ex egoismi annihilatione oriundam, dixi ideo allegoricam. (Mutua ecclesiae et civitatis ratio). Sed haec, adumbrata tantum hactenus, mox exemplis Historiae futura forsitan dilucidiora.

1) Sic ex. gr. in praef. ad Leg. Sal. "Gens Francor. inclyta, auctore Deo condita — corpore nobilis." De populari Saxon. nob. v. Ad. Brem. I, 5. Paul Diac. V, 56. Hüllm. Gesch. d. St. 648. etc. StaatsL. 287.